

Albert Willebrand

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Albertus Willebrandus, U.I.D.  
& Cod. Professor, ad Exequias, Quas Viro ... Dn. Christiano Polacken/ Princip:  
olim Ministro eiusdem Maestissima Relicta Vidua ... parabit Omnes Academiae  
Cives ... invitat**

Rostochii: Kilius, 1670

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777418312>

Druck Freier  Zugang



Willebrand, A. ,  
in  
Chr. Polack .  
Rostock. 1670 .







PROGRAMMA  
<sup>Quo</sup>  
RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
ALBERTUS VVIL-  
LEBRANDUS,  
U. J. D. & Cod. Professor,  
ad Exequias,

<sup>Quas</sup>  
*Viro forti & Conspicuo*

DN.  
CHRISTIANO

Polacken

Princip: olim Min  
ejusdem

Mæstissima Relicta Vidua  
*hodie circa horam Primam in templo  
Petrino parabit*

Omnes Academiae Cives eâ qua parest  
humanitate invitat.

ROSTOCHII,

Typis JOANNIS KILII, Univerf. Typogr. Anno 1670.



**T**Riplex esse Mortis genus, Acerbam infantum; mor-  
tem, immaturam Juvenum, maturam senum,  
in primordio ferè hujus nostri Rectoratus, occa-  
sione acerbi, elegantissimæ Virgunculæ, unius anni  
pupæ, funeris, ex Isidoro diximus, cum triduo vix  
antè immaturæ, studiosi Juvenis, 30. annorum, mortis  
exemplar habuissimus, subsecuto paulo post, & quidem  
intra unius mensis spatium, Senioris 70. & ultra annorum  
obitu; Cui cum, propter vanas nimium sibi arrogantium  
ineptias, iusta funebria exhibere, ut animus erat, præpe-  
ditifuerimus, nobis impræsentiarum, Summus & sapien-  
tissimus mortalium Director iterum grandævum prove-  
ctioris scil. ætatis senem, 74. annorum, eiusq; maturum,  
ex hac miseriarum valle, discessum, in fine propè nostri  
dicti Rectoratus obiecit; ut si forsàn, pro suo sacro pro-  
fundo, nobis quidem incognito, sed tamen venerabili, iudi-  
cio, non priori, huic posteriori nostræ piæ circa hanc va-  
rietatem ætatum meditationes deberentur; Sic enim vi-  
sum Deo, ne quis ætati, viribus, robori, vel annis nimi-  
um confideret: Communiter Alii inviolabilem illum &  
absconditum fatorum ordinem, qui suas cuique assignat  
metas, ad duas tantum classes referunt, secundum illud  
Poëtæ Venusini.

Mista senum ac Juvenum densantur funera, nullum  
Sæva caput Proserpina fugit.

Quid tam secundum naturam, inquit Cicero, est senibus,  
quàm emori? quod idem Adolescentibus contingit ad ver-  
sante & repugnante natura; Hi ita mori videntur, ut cum  
aquæ multitudine vis flammæ opprimitur, Illi, sicut sua  
sponte, nullâ adhibita vi, consumptus ignis exstinguitur,  
M. Terentii Varronis illi? doctissimi Romanorum verbum,  
opinor, est, si est Homo bulla, eo magis Senex, in univer-  
sum enim nihil, vitâ hominum, caducum magis ac fra-  
gile

gile est & evanescere quod citius possit, ad bullæ instar, quæ eodem momento propè & tumet maximè & nulla est; Quot undiquaque senectam circumstant casus, quot morbi infastent subinde? quorum nullus tam levis prope modum est, qui non perimere eam ac tollere possit; In ætate autem Spiritus viriumq; plenâ semper est aliquid, quod se q̄s: fato opponat, & violentiam ejus ac impetum, si non infringat, tardet tamen; Defectum annis Effætumq; corpus quo minus roboris vigorisque haber, eò citius atque facilius solvitur, & magis est bulla, quàm quod juventute suâ floret & partem optimam ætatis agit: Poma ex arboribus, si cruda sunt, vi avelluntur, si matura & cocta, decidunt, sic vitam Adolescentibus vis aufert, senibus maturitas; omnia secundum voluntatem Domini, qui certum tempus & inevitabilem vitæ terminum cuique hominum præfixit & divinitus assignavit, uti docet Jobus c. i. v. 4. prævisi seu æterminati sunt dies hominis, numerus mensium ejus apud te est domine, constituisti terminos ejus qui præteriri non poterunt, ille cuncta providet, regit & decernit ab æterno, tam huic, quàm illi, vitæ suæ cursum & finem posuit, ex eo enim sunt omnia, imò omnes causæ causarum: condita sic pergunt ordine cuncta suo, rerumque à principe causa fixa manent.

Non semper ambulant eandem semitam

Dei voluntas stabilis, atque arbitrium mortale.

Plurimi priusquam, manuum, pedum, cæterorumque membrorum operâ uti queant, vel in utero materno extinguuntur, vel paucissimis diebus, septimanis aut mensibus ex hoc ergastulo evocantur: Sunt hæc divinæ providentiæ secreta Consilia, ad quæ caligat & obstupescit humani ingenii acies, quæ mortales mileros submissè potius mirari, quàm curiosè rimari decet; placent eorum animæ Deo, ideoq; properat eos educere de medio iniquitatum

ne cor:



ne corrumpantur, consumati in brevi expleverunt tempora multa; uti testatur. Liber sapientiæ cap: 4. Qui multos vivendi piè annos assecuti sunt, sanè sibi de singulari Dei gratia gratulari possunt; utpote cum sit remuneratio etiam in hac vita, pro obsequio, ut si obtemperemus Dei Præscriptis Mandatis, & majoribus nostris debitam obedientiam & honorem præstemus, nobis benefiet, & diu in statione vitæ nostræ permanere debeamus; Sic HISKIAS Rex cum lethaliter ulcere quodam decumberet, Deum precatur sanitatem, & prorogationem regni & vitæ 2. Reg. 20. Ideoque rectè Bion Boristhenites Philos: nulli exprobrandam esse senectutem, quippe ad quam etiam omnes cupiunt pervenire, absurdum autem aliis probro dare, quod quis optat sibi contingere; quid etiam naturale magis homini nato quàm & viventem senescere & senem mori? quæ si quis respuit, Ipsam naturam nascendo increpat; Gorgias, centesimum Septimum agens annum, rogatus quare tam diu vellet in vita manere, quia nihil, inquit; habeo, quod accusem senectutem: Eleganter de hoc argumento M. Tullius agit in suo *Catonæ major*: & sanè uti ciconias nemo advenire sentit sed advenisse: non discedere sed discessisse; quod noctu clanculumq; faciunt utrumq;, ita iuventutem nemo intelligit discedere sed discessisse, & senectutem non quis sentit advenire sed advenisse: Interim negari non potest, cum venit hæc properata malis inopina senectus, quæ ipsa morbus dicitur à Comico, eam varia tristitia & acerba secum afferre, multa enim senem circumveniunt incommoda, dicit, eaq; pluribus enumerat Flaccus: & Juvenalis, quàm continuis & quantis longa senectus plena malis. in sua 10. Satyra in med: recenset: Ædopol Senectus si nihil quicquam aliud vitii apportet secum cum advenerit, unum id est satis, quod, diu vivendo multa, quæ non vult, videt,  
tum

rum equidem, inquit Cælius apud Cicer. in dict. libr. de Senect. in  
senectâ hoc deputo miserrimū, sentire, eâ ætate esse se odiosum al-  
teri, addo despectui & contemptui haberi, negligi & præteritorū  
meritorum omnium, gratiâ nullâ exstare: imo quot quantæq; mi-  
seriæ sunt, non difficile est intelligere at difficillimum enumerare:  
Quid etiâ est aliud senem videre trementem, incurvum, canum,  
imbecillum, infirmum, quàm cernere morientē vivū, aut viven-  
tem mortuum, gelidæ velut mortis imaginem: ut plura alia tace-  
m; Habemus, hodie uti in principio diximo, verum fragilitatis  
h manæ exemplum, non vulgare aut proletarium, senectutis iam  
& maturissimæ mortis, sapius votis quasi accersitæ, obiectum,  
sei mavis subiectum. De cuius vitæ curriculo cum pro more  
cepto, etiam aliquid hic dicendum sit, non ea, quæ possunt, o-  
mnia hic narrabo, sed raptim carptimq; quædam ex multis seli-  
gam, cætera sic aliis post me memoranda relinquam.  
Prodit Macarites noster CHRISTIANUS POLACKE in hoc va-  
riæ fortunæ mundanæ in theatrum, seculo, à Christo, redemptore  
generis humani, nato, decimo quinto in eoq; anno nonagesimo  
septimo, ipso die S. Jacob. Apostolo sacro, Demmini in Pomerianâ,  
urbe hodiè munitissimâ, patre viro inter suos honoratissimo Cive  
ibidem, THOMA POLACK, Matre itidem laudatissima MARIA  
Penzen / Avum Paternum habuit in Misnia Jobst POLACK,  
Senatorem urbis Stresen propè Albim; & eiusdem Lineæ Aviam  
Marenz Sieversen / par. coniugum, Virtute & prudentiâ satis  
commendabile; Postquam felici fidere in hunc lucem editus, nulla  
potior ac prior cura ac nullum desiderium æquè fervidum paren-  
tum fuit, quâ ut parvulus hic recens incola mundi, præprimis per  
sacrum baptismi lavacrum renasceret, Civis cælestis patriæ, ex  
gratia & merito Jesu Christi, ascitus, suo Jesu, eiusq; voluntati ac be-  
neplacito initiaretur. Quo impetrato, eundem suum filiolum per  
decennium in schola Triviali sedulo ad informandū præceptorib;  
ibidē commendarunt, grandior paulatim factus Wolgastū missus,  
suoq; cognato JOHANNI Hagemeistern / ibidem cancellariæ Duc-  
calis Secretario, de meliori nota commendatus est, ubi per septen-  
nium.

nium serè substitit, post modum ab eodem iterū Viro Amplissimo,  
consultissimo, Dn REIMARO Seltrachten / J Cto & Pomer: D ca-  
sterii Directori, ad inserviendū eius negotiis, commissus, quo facto  
non minimam ulterioris prōmotionis spem concepit, sed fortuna  
volubilis errat, hoc viro præmaturā morte, ipsi ac suis crepto, quā  
vitæ genus eligendum ipsi fuit, anno itaq; Christi 1620. fortuna suā  
bello experiri tentavit, suamq; operā belli duci (hodie colones  
vocant) Georgio Christoph. von Rosen / in onalachia contra Tur-  
cas, insensissimos Christiani nominis & immanes hostes addixit, ubi  
etiam se fortem, pugnacem & strenuū in multis præliis & consili-  
onib; præstitit, ô felix & beatū bellū ac prælia! nō in propria Christianorū viscera  
favire, sed sanguinē effundere pro Christi honore, nec ei parcere, contra tā hor-  
rendū & juratum ejus hostē: At properandū nobis; Bello hoc, opinione ejus otio  
finito, Exercituq; dimisso, noster jam p. defuncto nō sese otio ac illiciti  
mancipavit, sed iterum tam apud Ducē Curlandiae Fridericum officialis fuit, quam  
postmodū à nostro gloriosæ memoriæ patre patriæ, Adolpho Friderico Duce  
Mecklenb: Suerini officii aulicis, ceu Hoff Jurirer vel Futter Marschali uti vocant  
hic in Megapoli, præpositus fuit: In quo ita fideliter & gn: viter se gessit, ut etiā Anno  
Christi 1627. 14. Octobr. cum sociam vitæ sibi quæ siverit Virginē pudicissimam &  
honestissimam MARIAM BERENS, Henrici Berens Civis ac Cerevisarii Nor-  
denfis in Frisia orientali filiam, iam mcestissimam viduam, eius nuptialis solennit-  
tas & convivium in ipsa aula celebrari, hasq; Personas benedictione sacerdotali  
copulari, per concionatorem aulicum Casparum Wagener sua Celsitudo volue-  
rit & clementissimè ac gratiosè concesserit. Hoc ipsū conjugium non modo  
satis felix, pacatum & tranquillum, sed & per Dei gratiam fecundum, non sine  
pignoribus fœderis illius conjugalis fuit, siquidem divinæ benedictionis ope &  
præsentia quatuor liberorum, trium filiorum & unius filia, CHRISTIANI, MARTI-  
NI, ANNE-MARIE, & ADOLPHI, Pater factus est. Quos tamen omnes, à mundanā  
vanitate, Deus O. M. qui eos dederat, rursus ad meliorem vitā, præmaturā morte  
avocavit, cujus etiam voluntati parere & tam charum depositum reposcenti, sub-  
missā devotione & obsequio restituere & sine murmuratione reddere pii coniu-  
ges non detrectarunt: sed tamen ad leniendum gravem luctum, uti in summā a-  
nimi concordia vixerunt, ita & hic noster conjugis suæ, viduæ tantopere adama-  
tæ consanguineam, tunc adhuc virginem tenellam MARIAM Meinhart / quæ fi-  
liali reverentiā, obsequio & servitio eum semper prosequabatur, non modo a-  
doptavit, sed etiam, ante annū, dotavit, elocavit & Balthasari Dobbin Civi ac ne-  
gotiatori hic apud nos industrio, connubiali amore copulavit, propriāq; dicavit:  
A tempo-

A tempore nuptiarum ad præfens usq; , vita eius cum Jacobo. Gen. 47, 9 me-  
 ra peregrinatio fuit diesq; eius, respectu patrum seu Patriarcharum satis parvi  
 ac mali, subsecuta n. tristi huius Ducatus mutatione ac adhuc deplorandis casibz  
 lubortis, nullas non & ipse mutationes, miserias & afflictiones expertus, quas o-  
 mnes flere potius quàm enarrare præstat, hoc tantum commemorando: Tan-  
 dem æfecturâ, quæ apud nos vulgo vocatur *Officium*, à Serenissimo eum obti-  
 nuisse; In quo officio uti fidelem ministrum decet, ita accepti & expensi rationes  
 semper exhibuit, ut eas dispungi vel expungi non sit veritus, & propterea potius  
 favorem suæ Celsitudinis in inclementiam eius expertus. Cum a. & hoc offi-  
 cium multis molestiis, laboribus ac difficultatibus plenum & accumulatum, qui-  
 bus vix amplius, propter enervatas vitæ vires præesse, easq; sufferre diuti⁹ se non  
 posse sentiret; Nam præclare, ut omnia, Romanus sapiens, morbum incurabilē,  
 dixit, senectatem, quapropter uti etiam in nave, quæ Sentinam trahit, uni rimæ  
 alteri obfistitur, ubi a. plurimis locis ipsa laxari cæpit, succurri non potest tali  
 navigio dehiscenti, ita in senili corpore aliquatenus imbecillitas sustineri & ful-  
 ciri poterit, ubi a. tanquam in putri ædificio, omnis iunctura dilabitur, & cum a-  
 lia excipitur, alia discinditur, quid faciendum amplius? meritò circumspiciendum  
 tantum est quomodo exeat & discedas. Idem evenit & nostro *maxacit*; Ad ex-  
 tremum n., quatenus humeri ferre labores planè nō recusarent, semper bonâ spe  
 ulteriorum virium lætabatur, (*nemo n. tam fractus viribus, & decrepitæ Senectutis  
 est, dicit S. Hieronymus, ut non se putet unum vel alterum adhuc annum esse victurum, I-  
 deoq; cum quidem omnium ætatum à majoribus certus sit terminus constitutus, senectutis  
 nullus, in quâ vivitur, quoad munus officii exequi & tueri quis potest*) atq; munia, quæ ip-  
 si summus Gubernator & Arbitrator concrederat, pro viribus & cum quadam pro-  
 thymia, (nam, ut desint vires tñ, est laudanda voluntas) subiit. Postquam a. in u-  
 num quasi confluit quicquid habet infelicis & incurabilis morbi natura, ut om-  
 nia etiam medicamenta frustra adhiberi, ipsaq; naturam qs. morosâ sibi ipsi vi-  
 tã dissolvere, mutilare, exarctare videret, ac satis superq; persentisceret (*natura  
 etenim usuram nobis vitæ de dii, tanquam pecunia, nullâ præstitit à die quod si cum liber-  
 tu, repetit, eâ conditione commodata, ut restituenda sint, cur accusaretur & cur non  
 potius naturæ gratias quis ageret, quod cum citius potuisset, tardius reperierit*) Uni-  
 ca ei cura fuit, quò bonâ gratiã dimissionem à suâ Serenitate impetraret. Quâ cie-  
 mentissimè obtentâ, sibi hisce molestiis soluto propriam habitationem eligendo,  
 omne reliquum vitæ tempus in meditationes pias, preces ac sacra insumpsit, Di-  
 ligenter conciones auscultando, ruminando, pauperibus benefaciendo & com-  
 munionem sacra, quousque pedes etiam ipsi officium præstare non recusarent, in  
 templo publicè cum aliis utendo; **SUMMATIM**, ut compendi verba faciam,  
 de beato ex hoc tempestuoso, calamitatum omnium fertilissimo solo, discessu,  
 quoti-

quotidie ferè, ut par est, cogitavit, quem iam in decrepita ætate omnibus votis appetere videbatur; certus in eò, non habitandi locum, sed tantum commorandi diversorium nobis esse concessum, quare ex hospitio miseriarum & incommodorum plenissimo, egredi debemus & latissimo animo ad futuram vitam, tanquam ad veram patriam, evolare, mortem, spe subsequituræ longæ melioris vitæ, calcare atq; contemnere: Cuius etiam voti, compos factus: cum enim 29. præteriti mensis Augusti die, solito magis, valetudinis & virium defectus ipse sentiret, præter Medicum corporis, quo usus viro, sc. Cl. Exper. Dn. D. JOH. BACKMEISTERO, P. P. Excell. Amico nostro I. gratissimo, Animæ afflictæ medici Confessionarii scil. sui, viri pl. Reverendi I. M. PROTASII BESELIN, Pastoris Petrin. optimè meriti, affinis & amici etiam nostri amatissimi, præsentiam anhelavit; Quo accessito & non gravatim comparente, Contrito pectore remissionem peccatorum omnium per meritum Christi devotè ab eo petiit & impetravit, prætereaq; verò cordiali sumpto, hocq; viatico ad iter cælesti instructo, voluntati divinæ se totum commisit, ipsiusq; placitum, suum placitum esse voluit, gratias pro tanto bono adepto Deo agens, precibus & aspiris nunt & sequentes dies ac noctes transegit, *Herr wen ich nur dich habe / Herr Jesu dir lebe Ich / Ich weiß das mein Erlöser lebet / &c. &c.* & postremo 4. huius mensis Sep: die in Vesperam abeunte circa septimam horam, placidè inter preces tum confessionarii sui tum amicorum & lachrymas condolentium expiravit: cuius iam anima in benedictione, ei bene est & vivit! ideoq; gratulemur ipsi potius de statione præsentis quietis, salubritatis & omnis perfectionis, aternæ gloriæ & veri summi boni, quàm ut querelis super calamitatibus, quibus obnoxii semper sumus mortales aut de miseriâ vitæ nostræ vel aliis rebus, illius modi multum concionari instituamus: Modo illis, quibus hic obitus luctum & tristitiam præ aliis afferre posset, Spiritum Sanct: consolationis ex animo precemur, Is enim verò felix semperque tranquillus, qui in omni fortuna & casu ex animo sibi dicere potest, ut Deo placuerit, ita fiat;

Cum autem exanime Corpus hodie, Christiano more, solenniter ad dormitorium suum usque ad extremum buccinæ clangorem & adventum Jesu Christi ad iudicium, Retributoris ex gratia & iustitia benigni, iusti & summi, deducendum, ut id fiat honorabiliter & solenniùs vestræ etiam præsentia, Cives Academici vestris titulis honoratissimi! expetuntur; Date hoc, sultis, meæ adhortationi & petitioni, honori piè defuncti venerandi senis, Christianæ charitati & pietati; frequenter Comitamini & cohonestate has exequias, inter eundem fragilitatis humanæ in omni ætate & Sexu memores, illud meditamini, Huic quod accidit heri aut nudius tertius, id & hodie vel cras contingere tibi potest, interim benè valete, P. P. sub sigillo Academiae Rostochiensis die IX. Sept. Anno M. DC. LXX.

*Convencus fiat hodie circa horam Primam in Templo D. Petro sacro.*











A tempore nuptiarum ad præsens usq; ,  
ra peregrinatio fuit diesq; eius, respectu pat  
ac mali, subsecuta n. tristi huius Ducatus mu  
lubortis, nullas non & ipse mutationes, miser  
mnes flere potius quàm enarrare præstat; h  
dem æfecturâ, quæ apud nos vulgo vocati  
nuisse; In quo officio uti fidelem ministrum  
semper exhibuit, ut eas dispungi vel expungi  
favorem suæ Celsitudinis in inclementia  
cium multis molestiis, moribus ac difficulta  
bus vix amplius, propter enervatas vitæ vires  
posse sentiret; Nam præclare, ut omnia, Rom  
dixit, senectutem, quæ propter uti etiam in nav  
ant alteri obstitit, ubi a plurimis locis ipsa l  
æsvigio dehiscenti, ita in senili corpore aliqu  
ciri poterit, ubi a. tanquam in putri ædificio, o  
lia excipitur, alia discinditur, quid faciendum  
tantum est quomodo exeat & discedas. Idem  
tremum n., quatenus humeri ferre labores pla  
ulteriorum virium lætabatur, (*nemo n. tam fr  
est, dicit S. Hieronymus, ut non se putet unum vel al  
deog, cum quidem omnium ætatum à majoribus ce  
nullus, in quâ vivitur, quoad munus officii exequi &  
psi summus Gubernator & Arbiter concredera  
thymia, (nam, ut desint vires tn. est laudandav  
num quasi confluit quicquid habet infelicis &  
omnia etiam medicamenta frustra adhiberi, ips  
tâ dissolvere, mutilare, exarctuare videret, ac si  
etenim usuram vobis vita de dii, tanquam pecunia,  
sua repetit, eâ conditione commodata, ut restitue  
potius naturæ gratias quis ageret, quod cum citius  
ca ei cura fuit, quò bonâ gratiâ dimissionem à si  
mentissimè obtentâ, sibi hæc molestiis soluto p  
omne reliquum vitæ tempus in meditationes p  
ligerent conciones auscultando, ruminando, p  
munione sacra, quousque pedes etiam ipsi offic  
templo publicè cum aliis utendo; SUMMATIM  
de beato ex hoc tempestuoso, calamitatum omi*

iacobo. Gen. 47,9 me  
archarum fatis parvi  
uc deplorandis casibz  
es expertus, quas o  
memorando: Tan  
erenissimo cum obtri  
ti & expensu rationes  
, & propterea potius  
us. Cum a. & hoc offi  
& accumulatum, qui  
ufferre diuti se non  
morbum incurabilè,  
m trahit, uni rimæ  
curri non potest tali  
llitas sustineri & ful  
dilabatur, & cum a  
circumspiciendum  
o maxagitz; Ad ex  
nt, semper bonâ spe  
decepitæ Senectutis  
num esse victurum, I  
constitutus, senectutis  
) atq; munia, quæ i  
cum quadam pro  
Postquam a. in u  
orbi natura, ut o  
morosâ sibi ipsi vi  
sentisceret (natura  
lie quod sibi un libet,  
cusaretur & cur non  
us reperierit;) Uni  
petraret. Quæ ele  
tionem eligendo,  
era insumpsit, Di  
faciendo & com  
tion recusarent, in  
di verba faciam,  
io solo, discessu,  
quoti-

